

241/2701

DIE XII MAII

IN FESTO

S. DOMINICI CALCIATENSIS,
CONFESSORIS.

DUPLEX PRIMÆ CLASSIS CUM OCTAVA.

ANNO 1657

THE NEW YORK

IN THE

2. DOMINICA CATHOLICUS.

CONFESSIO.

DECEMBER 1891 (1891 OCTAVO).

1891-1892

xlv
DIE XII. MAIJ.

IN FESTO

S. DOMINICI CALCIATENSIS

CONFESSORIS.

Duplex prime Classis, cum Octava.

Oratio.

Clementissime Deus, qui Beatum Dominicum Confessorem tuum egregijs virtutibus illustrare dignatus es, concede quaesumus, ut cujus hodie natalicia celebramus, ejus intercessione à peccatorum nostrorum nexibus liberari, & illius consortio in Coelis perfrui mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

In 1. Nocturno. Omnia de communi Confess. non Pontif. etiam Lectiones, ut in Breviario.

LECTIO IV.

Dominicus Calciatensis Villorix in finibus Cantabrix, illustri genere natus, qualis adultus futurus esset ætate, in juvenilibus annis plurima virtute, & pietate monstravit. Itaque ante annum ætatis vigesimum Divino succensus ardore, mundana cuncta con-

temnens, Deo adherere, ejusque firmiter obedire mandatis, secum studiosè constituit. Id verò sub regulari disciplina, se facilius consequenturum existimans, primum ad Abbatem vallis Venariæ Ordinis S. Benedicti, deinde ad Monasterium S. Emiliani ejusdem institutis, supplex accessit, ut in Monachorum consortium admitteretur. Passus tamen utroque loco repulsam, Deo illum ad majora disponente, in oratione assidua, variisque corporis cruciatibus, per quinquennii vitam duxit Eremiticam in deserto Burebæ, constructo humili tugurio, & Deiparæ Virginis Sacello. &c. Honestum fecit illum Dominus & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum. * Et dedit illi claritatē æternā. †. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnū Dei. Et dedit,

Lectio v.

A Vdità porro famà sanctissi-
mi Viri Gregorij Cardinalis
Episcopi Ostensis, Sedis Apostolicæ
Legati, qui suis apud Deum preci-
bus, & salutaribus ad populum
monitis universam Cantabriæ, &
Navarræ Regionem à multis libe-
ravit ærumnis, ad eum Lucronij
hærentem accessit, sub cujus disci-
plinâ mirum in modum profecit,
numquam ab eo passus divelli, do-
nec vir sanctus è vivis excessit. Tã-
to destitutus magistro, denuo ad
vitam regressus eremiticam, eo
constitit loco, quo nunc requiescit,
haud procul à viâ regiâ, quâ iter
erat ad Sancti Jacobi Compostella-
nam peregrinatione, densis sylvis,
& latronum incurfibus periculo-
sum, paludibus, & cænosis anfra-
ctibus nimis molestum, transversis
fluminis elluvione frequenter im-
pervium.

R. Amavit eum Dominus, & or-
navit eum, stolam gloriæ induit
eum: * Et ad portas paradisi co-
ronavit eum.

Y. Induit eum Dominus lorica
fidei, & ornavit eum. Et ad.

Lectio vj.

C Ompassus itaque vir Sanctus
tot tantisque peregrinorum
incommodis, Deo multis modis
mirabiliter propitiante, silyam, ne-
mora, locos succidit, viam regiam
longè latèque stravit, fluminis im-

petus nobili superinducto ponte, su-
qui etiamnum cernitur, superavit, te-
domum amplâ peregrinis, & egè-
nis excipiendis ædificavit, & Chri-
sto Salvatore templum, quod postea
confluentibus vicinis populis, ur-
bemque à Sancti viri nomine nun-
cupatam, construentibus, cathedrâ
inlignitum est Episcopali. Multis
demum virtutibus, & miraculis
illustris, superatis annis nonaginta,
obdormivit in Domino, anno mille-
simo, centesimo nono, conditus in
tumulo, quem ipse ante annos sep-
tem, sibi præparavit.

R. Iste homo perfecit omnia que
locutus est ei Deus, & dixit ad eum:
Ingredere in requiem meâ. * Quia
te vidi justum coram me ex om-
nibus gentibus. *Alleluia*

Y. Iste est qui contempsit vitam
mundi, & pervenit ad cælestia reg-
na. Quia. *Gloria Patri &c*

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Evangelij secundum
Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

I N illo tempore: dixit Jesus disci-
pulis suis: Sint lumbi vestri præ-
cincti, & lucernæ ardentes in ma-
nibus vestris. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorij Papæ.

Homil. 13. in Evang.

S ANCTI Evangelij, fratres charis-
simi, aperta vobis est lectio re-
citata: sed ne aliquibus ipsa ejus
planities alta fortasse videatur, et
sub

sub breuitate tranſcurrimus, qua-
 tenus ejus expoſitio ita neſciētib;
 fiat cognita, ut tamen ſcientibus
 non ſit operoſa. Dominus dicit:
 Sint lumbi veſtri præcincti. Lum-
 bos enim præcingimus, cum carnis
 luxuriam per continentiam coar-
 ctamus. Sed quia minus eſt, mala
 non agere; niſi etiam quiſque ſtu-
 deat, & bonis operibus inſudare,
 protinus additur: Et lucernæ ardē-
 tes in manibus veſtris. Lucernas
 quippè ardentes in manibus tene-
 mus, cum per bona opera proxi-
 mis noſtris lucis exempla monſtra-
 mus. De quibus proſectò operibus
 Dominus dicit: Luceat lux veſtra
 coram hominibus, ut videant ope-
 ra veſtra bona, & glorificent Pa-
 trem veſtrum qui in coelis eſt.

R. Ille eſt qui ante Deum magnas
 virtutes operatus eſt, & de omni
 corde ſuo laudauit Dominum: *
 Ipſe intercedat pro peccatis om-
 nium populorum.

Ÿ. Ecce homo ſine querèla, verus
 Dei cultor, abſtinens ſe ab omni
 opere malo, & permanens in inno-
 centia ſua. Ipſe intercedat.

Lectio viij.

DVo autem ſunt; quæ juben-
 tur, & lumbos reſtringere, &
 lucernas tenere: ut & munditia ſit
 caſtitalis in corpore, & lumen veri-
 tatis in operatione. Redemptori
 etenim noſtro unū ſine altero pla-
 cère nequaquam poteſt: ſi aut is,

qui bona agit, adhuc luxuria in-
 quinamenta non deleat, aut is, qui
 caſtitate præminet, nec dum ſe-
 per bona opera exercet. Ne caſti-
 tas ergo magna eſt ſine bono ope-
 re: nec opus bonum eſt aliquod ſi-
 ne caſtitate. Sed & ſi utrumque
 agitur, reſtat, ut quiſquis ille eſt,
 ſpe ad ſupernam patriam tendat,
 & nequaquam ſe à vitijs pro mun-
 di hujus honeſtate contineat.

R. Sint lumbi veſtri præcincti, &
 lucernæ ardentes in manibus ve-
 ſtris: * Et vos ſimiles hominibus
 expectantibus dominum ſuum,
 quando reuertatur à nuptijs.

Ÿ. Vigilate ergo: quia neſcitis, quā
 horā Dominus veller venturus ſit.
 Et vos.

Lectio ix.

ET vos ſimiles hominibus ex-
 pectantibus Dominum ſuum,
 quando reuertatur à nuptijs: ut cū
 venerit, & poſſauerit, conſeſſim
 aperiant ei. Venit quippè Domi-
 nus cum ad judiciū properat: pul-
 ſat vero, cum jam per aegritudinis
 moleſtias eſſe mortem vicinam de-
 ſignat. Cui conſeſſim aperimus, ſi
 hunc cum amore ſuſcepimus. Ape-
 riri enim judici poſſanti non vult,
 qui exire de corpore trepidat: &
 videre eum, quem contempſiſſe ſe
 meminit, judicem formidat. Quī
 autem de ſua ſpe, & operatione le-
 curus eſt, poſſanti conſeſſim aperit,
 quia lætus Judicem ſuſtinet: & cum

tempus propinquà mortis adven-
rit, de gloria retributionis hilaref-
cit. Te Deum, &c.

SECUNDA DIE

Infraoctavam.

*Lectiones primi Nocturni de
Scripturà occurrenti.*

IN II. NOCTVRNO.

Sermo Sàcti Joannis Chryfoftomi.

In orat. de S. Phylog. tom. 3.

Lectio iv.

BEati Dominici dies, cujus ho-
die feftivitatem celebramus,
ad ipsius rectè factorum enarratio-
nem, linguam noſtram evocavit:
Siquidem hodie Beatus iſte ad trà-
quillam, omniſque perturbationis
expertam vitam tranſijt, eoque na-
vigium appullit; ubi deinceps non
potuerit metuere naufragium, nec
illam animi perturbationem, aut
dolorem. Et quid mirum eſt, ſi lo-
cus ille purus eſt ab omni moleſtià
animi, cum Paulus hominibus ad-
huc in hac vità degentibus loquens
dicat: Semper gaudete, ſine inter-
miſſione orate?

R. Honellum fecit, ut ſupra.

Lectio v.

QUod ſi hic, ubi morbi, ubi
inſectationes, ubi præmate-
ræ mortes, ubi calumnie, ubi in-
vidiæ, ubi perturbationes, ubi iræ,
ubi cupiditates, ubi innumeraliles
inſidiæ, ubi quotidiana ſollicitudi-
nes, ubi perpetua ſibiſque ſucceden-
tia mala ſunt, innumeros ex omni

parte dolores afferentia. Paulus di-
xit fieri poſſe, ut ſemper gaudea-
mus, ſi quis paululum ex rerum
mundanarum fluctibus erexerit ca-
put, vitamque ſuam rectè compo-
ſuerit: multò magis, poſtquam hinc
demigraverimus, facile compotes
erimus ejus boni, cum hæc omnia
ſublata fuerint, adverſa valetudo,
morbi, peccandi materia, ubi non
eſt meum ac tuum, frigidum illud
verbum, & quidquid eſt malorum
in vitam noſtram invehens, in-
numeraque gignens bella.

R. Amavit cum Dominus, ut ſupra.

Lectio vj.

QUamobrem maximopere
gratulor hujus Sancti ſceli-
citati, quod quanquam translatus
eſt, atque hanc, quæ apud nos eſt,
civitatem reliquit, tamen in alte-
ram adſcriptus eſt civitatem, nem-
pe Dei, & digreſſus ab hac Eccle-
ſià, ad illam pervenit quæ eſt pri-
mogenitorum deſcriptorum in cæ-
lis: ac relictis hiſce feſtis, tranſijt
ad celebritatem Angelorum. Ete-
nim quod & civitas ſolum ſit, &
Eccleſià, & celebritas, audi Paulum
dicentem: Acceſſiſtis ad civitatem
Dei viventis, Jeruſalem cæleſtem,
& Eccleſiam primitivorum, qui
conſcripti ſunt in cælis, & ad mul-
torum milliam Angelorum fre-
quentiam.

R. Ille homo perfecit, ut ſupra.

IN III. NOCTVRNO.

Le-

Lectio Sancti Evangelij secundum
Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore : Dixit Iesus discipulis suis sint lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorij Papae.

Hom. 13. in Evang.

Sed veniens Dominus, quid vigilantibus servis exhibeat audiamus : Amen dico vobis, quod praecinet se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Praecinet se, id est, ad retributionem praeparat ; & faciet illos discumbere ; id est in aeterna requie refoveri ; discumbere quippe nostrum, in regno quiescere est. Unde rursus Dominus dicit : Venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob. Transiens autem Dominus ministrat, quia lucis suae illustratione nos satiatur ; transire vero dictum est, cum de iudicio ad regnum redit.

R. Ille est, ut supra.

Lectio viij.

Sed quid si servi in prima vigilia negligentes existunt? Prima quippe vigilia, primae aetatis custodia est, sed neque sic desperandum est, & a bono opere cessandum. Nam longanimitatis suae patientiam insinuans Dominus subdit : & si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit,

beati sunt servi illi : prima quippe vigilia, primae aetatis tempus est, id est, pueritia. Secunda adolescentia, vel juvenus, quae auctoritate Sacri eloquij unum sunt, dicente Salomone latere juvenis in adolescentia tua. Tertia autem, senectus accipitur.

R. Sint lumbi, ut supra.

Lectio ix.

Qui ergo vigilare in prima vigilia nolit, custodiat vel secundam : ut qui converti a pravitatibus suis in pueritia neglexit, ad vias vitae saltem in tempore juventutis evigilet, & qui in secunda vigilare nolit, tertiae vigiliae remedia non amittat, ut qui in juventute ad vias vitae non vigilat, saltem in senectute respiciat. Non est jam, quid homo excoilationis inveniat ; Deus despicitur, & expectat, contemni se videt, & revocat, injuriam de contemptu suo suscipit, & tamen quandoque revertentibus, etiam praemia promittit. Te Deum, &c.

TERTIA DIE

Infraoctavam.

IN IL. NOCTVRNO.

Sermo Sancti Joannis Chrysostomi. Serm. de mart. quod aut imitandi, aut non laud. tom. 3.

Lectio iv.

Qui Sanctorum merita religiosi charitate miratur, quique iustorum glorias, frequentia laude colloquitur, eorum mores san-

sanctos, atque iusticiam imitetur; quoniam quem delectat Sancti alijus meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium. Quare aut imitari debet, si laudat: aut laudare non debet, si imitari detrectat: ut qui alium laudat, laudabilem se reddat: & qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. Nam si propterea iustos fidelesque diligimus, quod in ipsis iusticiam fideque suscipimus; possumus nos quoque esse quod sunt, si faciamus ipsi quod faciunt.

R. Honestum, ut supra.

Lectio v.

NEque enim difficile nobis est, quod ab ipsis geritur, imitari, cum sine præcedenti exemplo, ab antiquis talia gesta conspiciamus: ut non ipsi aliorum æmuli redderentur, sed æmulandæ virtutis seiplos nobis præberent exemplum: ut dum non ex ipsis, sed ex nobis alij proficiunt, sic Christus in suis semper servis in Ecclesia Sancta laudetur. Vndè ab origine mundi innocens Abel occiditur, Enoch Deo placens trāsferatur, iustus Noe invenitur, Abraham fidelis probatur, Moyses mansuetus dignoscitur, Jesus castus, David lenis, Elias acceptus, Daniel Sanctus, tres pueri victores redduntur.

R. Amavit eum Dominus, ut supra.

Lectio vij.

Apostoli discipuli Christi, crederentium magistri habentur: sunt quibus eruditi Confessores fortissimi pugnare, Martyres perfecti triumphare, & Christiani semper exercitus diabolus Deo armati debellant. In istis semper pauciores virtutes, dissimiles pugnae, gloriolæ victoriæ. Vndè tu Christiane delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare, Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto certa. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum quod spondidisti, conditionem quæ accessisti, militiam cui nomen dedisti.

R. Iste homo, ut supra.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Evangelij secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorij Papæ.

Sermo 13. in Evang.

Sed veniens Dominus quid vigilantibus servis exhibeat audiamus: Amen dico vobis, quod præcingeret se, & faciet illos discumbere, & transiens ministravit illis. Præcingeret se, id est, ad retributionem præparat; & faciet illos discumbere.

cumbere; id est in eternâ requie
refovere: discumbere quippè no-
strum, in regno quiescere est, unde
rursus Dominus dicit: venient, &
recumbent cum Abraham, Isaac,
& Jacob. Transiens autem Domi-
nus ministrat, quia lucis suæ illu-
stratione nos satiat; transire vero
dictum est, cum de iudicio ad reg-
num redit.

R. Iste est qui, *ut supra.*

Lectio viij.

Sed qui si servi in primâ vigiliâ
negligentes existunt? Prima
quippe vigilia, primæ ætatis custo-
dia est, sed neque sic desperandum
est, & à bono opere cessandum.
Nam longanimitatis suæ patien-
tiam insinuans Dominus subdit: &
si venerit in secundâ vigiliâ, & si in
tertiâ vigiliâ venerit, & ita invene-
rit, beati sunt servi illi: prima quip-
pè vigilia, primævum tempus est,
id est pueritia, secunda adolescen-
tia, vel juvenus, quæ auctoritate
Sacri eloquij unum sunt, dicente
Salomone, latere juvenis, in ado-
lescencia tua. Tertia autem sene-
ctus accipitur.

R. Sint lumbi, *ut supra.*

*Nona Lectio legitur de S. Boni-
facio, ut in Breviario Romano.*

QVARTA DIE

Infraoctavam.

IN II. NOCTVRNO.

De Sermone Sancti Joannis Chry-
sostomi. De S. Philogono.

Lectio iv.

7

AD hanc beatam requiem
transijt Beatus Dominicus:
quænam igitur oratio par sit viri
laudibus, quem Deus tam foelici
sorte dignatus est? Non est ulla: sed
age, dic mihi, num idcirco silebi-
mus? & cujus rei gratiâ conveni-
mus? An dicemus nos haud posse
magnitudinem gestorum oratione
consequi? Atqui ob hoc ipsum ne-
cesse est dicere, quâdoquidem hæc
est præcipua laudû ejus pars, quod
factis verba æquiparari non pos-
sint. Nam quorum benefacta na-
turam etiam superans mortalem,
perspicuum est, quod horum lau-
des excedunt linguam humanam.
Haud tamen ob id aspernabitur
officium nostrum, quod pro viri-
bus præstamus, sed suum imitabi-
tur Dominum. Siquidem illi viduæ
duos tantum obulos deicienti in
gazophilarium, non tantum duo-
rum obulorum mercedem reddidit.
R. Honestum, *ut supra.*

Lectio v.

PErinde quamvis nostræ facul-
tates exiguæ sint; minimique
pretij, attramen, quæ possumus, offe-
rimus. Ea licet non respondeant
magnitudini meritorum animæ
præclari, justique Dominici, atra-
men hoc ipsum celsitudinis illius
maximum fuerit argumentum, quod
nec pusilla repellar, sed idem fa-
ciat, quod solent divites. Siquidem
illi,

illi, cum acceperint à tenuibus exigua, quibus non egent, sua vicissim apponuntur remunerantes eos, qui quod poterant obtulerint. Idem & hic, cum acceperit à nobis laudem verbis peractam, quā nequaquam eget, redonabit nobis per ipsa facta benedictionem, quā semper uti possumus.

R. Amavit, *ut supra.*

Lectio vj.

Vndè igitur laudationē illius auspicabimur? An à magistratu, quem Spiritus illi tradidit gratia? Nam mundani magistratus nequaquam possunt Christianorum demonstrare virtutes; quin potius frequenter habent accusationem militiæ, quam ob causam? quoniam & sollicitudines amicorum, & circumcurvationes, & adulationes, aliaque per multa his fædiora tales magistratus solent conciliare. Cæterum ubi Deus suo suffragio designarit aliquem, incorruptum suffragium, alienum ab omni suspitione iudicium, indubitata fuerit delecti comprobatio, propter ejus; qui delegit, auctoritatem.

R. Ille homo, *ut supra.*

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Evangelij secundum Lucam.

Lectio vij.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri

præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Serm. 39. de verb. Dom. in Ioan. lux

AVdistis modò Evangelium, & quid monuerit nos, vel admonuerit cautos nos faciens, & volens esse expeditos, & paratos ad expectandum novissima, ut post novissima, quæ sunt in hoc sæculo metuenda, succedat requies; qualem non habet finem; beati, qui participes facti fuerint. Erunt autè tunc securi; qui modo non sunt securi; & iterum tunc timebunt, qui modò quiescere nolunt. Ad hanc expectationem, & propter hanc spem Christiani facti sumus.

R. Ille est, *ut supra.*

Lectio viij.

Nonne spes nostra non est de hoc sæculo? Non amemus hoc sæculum. Ab amore sæculi huius vocati sumus, ut aliud sæculum speremus, & diligamus. In hoc abstinere nos debemus ab omnibus illis concupiscentiis, & hoc est, lumbos accinctos habere debemus, & fervere, & lucere in operibus bonis, hoc est, lucernas ardentes in manibus habere. Dixit enim ipse Dominus discipulis suis alio loco Evangelij: Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.

R. Sint lumbi, *ut supra.*

Lectio ix.

ET, ut ostenderet, unde dicebat, subiecit, & ait: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Lumbos nostros accinctos adesse voluit, & lucernas ardentes: postquid est, lumbos accinctos? Declinosa à malo, quid est lucere? quid est, quam lucernas ardentes habere? Hoc est, curare & fac bonum: quid est, quod adiungit, & ait: & vos similes hominibus; & omnibus expectantibus Dominum suum, ut quando revertatur à nuptiis, nisi sita quod in illo psalmo sequitur, Invenire pacem, & persequere eam? Te Deum, &c.

QVINTA DIE

Infraoctavam.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo Sæcti Joannis Chrysostomi.

Lectio iv.

Quantum autem sit pietatis argumentum, quod Deus, illum tanto magistratu dignum iudicavit, audi: Christus excitatus à morte, quid dicit Petro: postquam benigne illum interrogasse, Petrus ita mas seipse respondit: Tu Domine, quod amo te: dicit illi: Si diligis me, pascere oves meas. Hoc autem dicebat, non solum, ut nos, sed et certissime declararet, quanto opere ipsum diligeret Petrus; verum etiam, ut palam faceret, quantam haberet benevolentiam erga suas

oves. Itaque si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quærat utilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat, &c. Honestum, ut supra.

Lectio v.

N Vllum enim officium hoc Deo charius est, & ob id alicubi dicit: Simon, Simon, expectavit te Satanas, ut cribraret te tanquam triticum, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, quid igitur hujus sollicitudinis, curæque precium mihi rependis? eandem curam, quam nobis impendit, repone: nam, & tu, inquit, aliquando conversus confirma fratres tuos. Neque propterea alia res est, quæ perinde declaret, doceatque quis sit fidelis, & amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat sollicitudinem. &c. Amavit, ut supra.

Lectio vj.

Hæc omnes audiant, & Monachi, qui montium occupaverunt cacumina, quique modis omnibus se ipsos mundo crucifixerunt, quo pro viribus Ecclesiarum Praefectos adjuvent, horumque curas leniant precibus, concordia, charitate; scientes, quod nisi modis omnibus opitulentur ijs, qui tot periculis obiciuntur, per gratiam Dei, totque negotiorum curas sustinent, quibuscumque possunt rationibus auxiliantur: quamquam

procul habitantes, & viduus tors ip-
sis perijisset, & tota in scopulum
impegisset sapientia.

R. Ille homo, ut supra.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Evangelij secundum
Lucam.

Lectio vij.

IN illo tempore dixit Jesus disci-
pulis suis: Sicut lumbi vestri præ-
cincti, & lucernæ ardentes in ma-
nibus vestris. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.

Hæc tria, hoc est, abstinencia
à malo, & operatio boni, &
spes præmij æterni commemorata
sunt in Actibus Apostolorum, ubi
scriptum est: Quia docebat eos
Paulus de continentia, de iustitia,
& spe vitæ æternæ. Ad continentiam
pertinet: sicut lumbi vestri accincti.
Ad iustitiam pertinet: & lucernæ
ardentes. Ad expectationem Do-
mini pertinet, quæ est spes vitæ
æternæ. Ergo declina à malo, hæc
est continentia, hi sunt lumbi ac-
cincti. Et fac bonum, hæc est iusti-
tia, hæc sunt lucernæ ardentes.
Quære pacem, & sequere eam, hæc
est expectatio futuri sæculi.

R. Ille, ut supra.

Lectio viij.

Habentes autem ista præcep-
ta, & promissa, quid quæri-
mus in terrâ dies bonos, ubi eos in-
venire non possumus? Scio enim,
quia eos quæritis, quâdo aut agro-

tatis, aut in tribulationibus estis, tu-
quæ abundant in hoc sæculo, quo vi-
nam quâdo ætas vergit ad finem, ex-
& senex plenus est querelis, & mul-
tis gaudijs inter omnes tribulatio-
nes, quibus cõteritur genus huma-
num, non quærunt homines, nisi
dies bonos, & vitam volunt lon-
gam, quâ hic habere non possunt.

R. Sicut lumbi, ut supra.

Nona lectio legitur de S. Valdo,
ut in Breviario Romano.

S E X T A D I E

Infra octavam.

IN II. NOCTVRNO.

Ex libro moralium Sancti Grego-
Papæ, lib. 10. cap. 16. in cap. 12. Job.

Lectio iv.

Deridetur iusti simplicitas. Hu-
jus Mundi sapientia est, cor
machinationibus regere, sensum
verbis velare; quæ falsæ sunt, veræ
ostendere; quæ veræ sunt, falsæ de-
monstrare. Hæc nimirum pruden-
tia usu à juvenibus scitur, hæc à
pueris pretio discitur: hanc qui
sciunt, ceteros dispiciendo super-
biant; hanc qui nesciunt, subiecti, &
timidi in alijs mirantur: quia ab
eis hæc eadem dupliciter iniqui-
tas nomine, palliata diligitur, com-
mentis perversitas, urbanitas voca-
tur. Hæc sibi obsequentibus præci-
piunt honorum culmina quærere, adep-
ta temporalis gloriæ vanitate gau-
dere, irrogata ab alijs mala multum
placius reddere: cum vires suppe-
tunt,

tant, nullis resistētibz cedere; cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare. *Ex. Honestum fecit, ut supra.*

Lectio vj.

AT contra, Sapientia justorum est, nil per ostensionem fingere, solum verbis aperire, vera, ut sunt, diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere; nullam injurię ultionem querere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc justorum simplicitas deridetur: quia ab hujus Mundi sapientibus, puritatis virtus, fatuitas creditur. Omne enim quod innocentē agitur, ab eis proculdubio stultū putatur: & quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat. Quid nāque stultius videtur Mundo, quam mentem verbis ostendere, nil callidā machinatione simulare, nullas injurijs cōtumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem querere, possessa relinquere, rapiētī non resistere, persecutenti alteram mexillam præbere.

Ex. Amavit eum, ut supra.

Lectio vij.

LAmpas contempta apud cogitationes divitum, sæpē coningit: ut electus quisque qui ad æternam felicitatem ducitur, continuā hic adversitate deprimatur;

non hunc certū abundantia fulciat, non dignitatum gloria honorabilem ostendat, nulla ei, obsequen-
tium frequentia suppetat, nulla hunc humanis oculis vestiam pompa componat, a cunctis verō despicibilis cernitur, & hujus mundi gratia indignus æstimatur: sed tamē ante oculi Judicis oculos virtutibus emicat, vitæ meritis coruscāt: honorari metuit, despici non refugit: corpus continentia afficit, sola in animo dilectione pinguet: mentem semper ad patientiam præparat, & erectus pro justitiæ perceptis contumelijs exultat, afflictis ex corde compatitur, de bonorum prosperitatibus quasi de proprijs lætatur, sacri verbi pabula in mente sollicitus ruminat, & inquisitus quodlibet eloqui dupliciter ignorat. *Ex. Iste, ut supra.*

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Evangelij secundum Lucam.

Lectio vij.

IN illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia Sancti Petri Chrysolog.

Ex Serm. 24. post init.

NOVUS ordo vigiliarum, novus habitus imperatur: Sint lumbi vestri præcincti. Nil de vestitu, nil de calceamentis, nil de ipsius occurrentis apparatu servi vigilēs ad-

monentur: sed tota in præcingendis lumbis mandatur cura, tota in constringendis lumbis statuitur vis præcepti, addito lucernarum solatio tantū, sine quo nec noctis appetitur obscuritas, nec venientis diei clarescit aspectus.

R. Ille est, ut supra.

Lectio viij.

Cingulum quidem est propriū indicium servitutis; quod & discursus expeditos reddat, & faciat obsequentes: sed dixisse suffecerat, estote præcincti: cur lumbos potissimum nominat? cur tanta juvenis reverentia lumborum facit magnopere mentionem? quæris, quare? quia in lumbis est tota corporis causa: ex lumbis tota carnis negotia suscitantur, in lumbis tota est humani lapsus, humanæ fragilitatis occasio. Inde venit, quod virtutis ignaros reddit, efficit seniores. R. Sint lumbi, ut supra.

Lectio ix.

Hinc est ergo, quod principaliter Dominus lumbos nostros astringi jubet baltheo castitatis; & totum carnis nostræ pendulū, fluidum, resolutum constringi mandat continuā zonā virtutis: ut carne succincta, ad Domini occursum, liber, velox, expeditus nostræ mentis reddatur incessus. Hæc tamen audiens homo scire debes, quia te non retardat ab occursum Dei caro: quia ipsius occursum, officij ipsius in-

separabilis est comes, si tu componas sarcinas, si releves onera ejus, si pendula, & sinuosa involucre ejus tu providus viator astringas. Te Deum.

SEPTIMA DIE

Infraoctavam.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Serm. 1. de S. Victore.

Lectio iv.

Sancti Dominici vita, & gloria specialis, non tam ad gloriam, quam ad virtutem provocat omnes, qui recto sunt corde. Non recti planè, sed perversi est animi, ante querere gloriam, quàm exercere virtutem, & velle coronari qui legitime non certaverit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem surgere, ira est: frustra ad celsitudinem mittitur gloriæ, qui prius non claruit virtute; frustra fatuæ virgines (ponso obviam surgunt quarum lampades extinguuntur: & ideò fatuæ, quia vacuis gloriatur lampadibus, virtutis oleum non habentes.

R. Honestum, ut supra.

Lectio v.

Virtus gradus ad gloriam: virtus, mater gloriæ est. Fallax gloria, & vana est pulchritudo, quæ illa non parturivit. Sola est, cū gloria jure debetur, & securè impenditur. Sancto Dominico nec virtus, nec gloria deest: sed quemadmodum ambæ res, & quo ordine in homi-

homine procefferunt, id operæ præ-
tium iotneri. Habemus enim dile-
ctiffimi in vita Dominici, & quod
digne miremur, & quod falubriter
imitemur. Tuius fanè æmulanda
solidiora, quàm fublimiora, & quæ
magis virtutem redoleant, gloriam
minus. Studeamus proinde mori-
bus conformari, cui in mirabilibus
fimilari, & fi volumus, nō valemus.
R. Amavit, *ut fupra.*

Lectio vj.

ÆMulemur in viro fobrium vi-
ctum, devotum affectum,
æmulemur manfuetudinem fpiri-
tus, caftimoniam corporis, oris cu-
ftodiam, animi puritatem, ponere
fecerunt iræ, & modum linguæ,
dormire parcius, orare frequētius,
commonere nos metipfos pfalmis,
hymnis, & canticis fpiritualibus,
diebus jungere noctes, & divinis
laudibus occupare; æmulamur cha-
ritatem meliora; æmulemur, in-
quam, quod extitit liberalis in pau-
peres, patiens ad peccantes, benig-
nus ad omnes. Hoc enim melius.
In his forma eft, cui imprimamur,
in miraculis gloria, à qua reprimamur;
illa lætificent, illa ædificent,
moveant illa, illa promoveant.
R. Ille, *ut fupra.*

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Evangelij fecundum
Lucam. *Lectio vij.*

IN illo tempore: dixit Iefus dif-
cipulis fuis: Sint lumbi veftri

præcincti, & lucernæ ardentes in
manibus veftris. Et reliqua.

De Homilia S. Auguftini Epifcopi.

HÆc tria, hoc eft, abftinentia
à malo, & operatio boni, &
fpes præmij æterni commemorata
funt in Actibus Apoftolorum, ubi
fcriptum eft: Quia docebat eos Pau-
lus de continentia, de iuftitia, & fpe
vitæ æternæ. Ad continentiam per-
tinet: ficut lumbi veftri accincti. Ad
iuftitiam pertinet, & lucernæ ar-
dentes. Ad expectationem Domi-
ni pertinet, quæ eft fpe vitæ æter-
næ. Ergo declina à malo, hæc eft
continentia, hi funt lumbi accincti.
Et fac bonum, hæc eft iuftitia hæc
funt lucernæ ardentes. Quære pa-
cem, & fequere eam: hæc eft ex-
pectatio futuri fæculi.
R. Ille eft, *ut fupra.*

Lectio viij.

HAbentes autem illa præcepta,
& promiffa, quid quærimus
in terra dies bonos, ubi eos inveni-
re non poffumus? Scio etiam, quia
eos quæritis, quando aut ægrotatis,
aut in tribulationibus eftis, quæ
abundant in hoc fæculo; quoniam
quando ætas vergit ad finem, & fe-
nex plenus eft querelis, & nullis
gaudijs, inter omnes tribulationes,
quibus conteritur genus humanum,
non quærit homines, nifi dies bo-
nos, & vitam volunt longam, quam
hic habere non poffunt.
R. Sint lumbi, *ut fupra.*

Lectio ix.

Quid est ergo vita hominis, etiam illa, quæ longa dicitur? Audite non à me, sed mecum simul. Ait enim nobis quidam: Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. En, quam rem vult docere; & cui rei utilis est timor Domini? sequitur: Qui est homo, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? Respondemus omnes: Nos volumus: quid sequitur, audiamus. Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Modo dic, Ego, eia, respondeat mihi aliquis: Ego; & cum hoc feceris, securus expectas vitam, & dies bonos: quære pacem, & sequere eam, & tunc bonà fronte dicis Domino: feci, quod iussisti; redde, quod promissisti.

Te Deum.

IN DIE OCTAVÆ.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

*Serm. 2. de S. Victore.**Lectio iv.*

Gaudete in Domino dilectissimi mi, qui inter continua suar pietatis beneficia indulgit hominem Mundo, ejus multi salventur exemplo. Iterū dico gaudete, quod factus de medio appropriavit Deo ut multò plures ejus intercessionem salventur: in terris visus est, ut esset exemplo: in cælum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vi-

tam, illic incitat ad gloriam: factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transferre desiderat, & supplicantis affectum, & supplicationis fructum: quid enim quærat sibi, qui nullius eget.

R. Honestum, ut supra.

Lectio v.

Hæc dies gloriolæ migrationis ejus, dies lætitiæ cordis ejus, exultemus, & lætemur in ea. Introivit in potentias Domini, gaudeamus: quia nunc potior est ad salvandum. Hodie Dominicus, posito corpore, tanto alacrior, quanto expeditior penetravit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum, Hodie despecto Mundo, & Mundi Principem triumphato supra Mundū victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ. Ascendit autem cum immentia supplicanti meritorum, clarus triumphis, miraculis gloriosus: sedet veteranus miles, debita jam suavitate, & securitate quietus: securus quidem sibi, sed nostri sollicitus. O venerandam etiam ipsis Angelis Sanctitatem, quam pari studio, & si dispari voluntate, & mali fugitant, & frequentant boni, nec facile dixerim, quid virum astringat sanctiorē, horum favor, aut pavor illorum.

R. Amavit, ut supra.

Lec.

Lectio vj.

O Miles emerite, qui Christianæ militiæ duris laboribus angelicæ felicitatis requiem commutasti: respice ad imbelles, & imbecilles commilitones tuos, qui inter hostiles gladios, & spirituales nequitias tuis laudibus occupamur, quàm pium, quàm dulce, quàm suave, ò Dominice in hoc loco afflictionis, & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari. Nomen tuum, & memoriale tuum favus distillans in labijs captivorum; mel, & lac sub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eia ergo fortis athleta, dulcis Patrone, advocate fidelis; exurge in adiutorium nobis; ut & nos de nostrâ ereptione gaudeamus, & tu de plenâ victoriâ glories.

⁊. Iste homo, ut supra.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Evangelij secundum
Lucam.

Lectio vij.

IN illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Sicut lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia Sancti Fulgentij Episcopi.

Ex Serm. de Confess.

SI iustum Domini Sermonem secundum litteram velimus accipere, nihil in eo commodi spiritualis

possumus invenire: quid enim proficit ad animæ salutem, si aliquis corporaliter, aut lumbos præcingat, aut lucernam accendat? In lumbis itaque concupiscentia carnalis ostenditur, in lucernis verò fides, & charitas Christiana monstratur. Jubensigitur Dominus lumbos nostros præcingi, concupiscentias carnis sine dubio præcipit restrainari. Imperans autem, ut lucernas ardentes habeamus, hoc utique jubet, ut & lumine veræ fidei splendeamus, & sanctæ charitatis operibus ferveamus.

⁊. Iste est, ut supra.

Lectio viij.

Ista, quæ de Evangelio proposuimus, cum prophetis sermonibus conferamus. Vtrumque enim testamentum Deus instituit, unus Dominus dedit: & si sunt utriusque testamenti diversa, pro temporibus Sacramenta; concordat tamen in utroque salutis humanæ sententia, quæ præcipitur, ut non peccemus, & jubetur, ut bonis operibus insistamus. Per Isaiam Dominus omnes his admonet verbis: Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite perverse agere, discite benefacere, quid est enim, sint lumbi vestri præcincti, nisi quiescite agere perverse? quid est: sint lucernæ ardentes, nisi discite benefacere?

⁊. Sint lumbi, ut supra.

Nona Lectio legitur de S. Pudenciana, ut in Breviario Romano.

Orationem, & Lectiones proprias Sancti Dominici Calceatensis prædictas Eminentissimi Patres Sac. Rit. Congregationi Præpositi ad instantiam Capituli Cathedralis Calciatensis approbarunt, easque die 13. Maij in Officio ejusdem Sancti, & per Octavam à Capitulo, & Clero Cathedralis prædicta recitari posse concesserunt cum facultate etiam illas imprimendi ad usum ejusdem Ecclesie Die 30. Junij 1657.

I. Episcopus Sabinen. Card. Sacchettus.

Loco ✕ Sigilli.

Franciscus Maria Phœbeus,
Sac. Rit. Congr. Secret.

CALAGVRRITANA, SEV CALCIATEN.

Sacra Rituum Congregatio cum alijs die 30. proximi præteriti mensis Junij Eminentissimo D. Card. Astallio referente, Orationem, Lectiones proprias prædictas approbasset, easque die 12. Maij, & per Octavam in Officio Sancti Dominici Calciatensis à Capitulo, & Clero Cathedralis prædicta recitari posse concessisset, novissimis præfato Capituli precibus benignè inclinata, concessionem prædictam ad universam Diocesim extendit, & ad usum Clerici Civitatis, & Diœcesis ejusdem imprimi posse concessit. Die 4. Augusti 1657.

Et facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas Sua annuit, die 7. ejusdem, eodemq. anno 1657.

I. Episcopus Sabinen. Card. Sacchettus.

Loco ✕ Sigilli.

Franciscus Maria Phœbeus,
Sac. Rit. Congr. Secret.



